

QUÆST. 78. Num ergo panis & vinum  
fiunt ipsum corpus & sanguis  
Christi?

RESP. Nequaquam: Verum ut Aqua Baptismi in  
sanguinem Christi non convertitur, nec est ipsa  
peccatorum ablutio, sed symbolum tantum &  
pignus earum rerum, quæ nobis in Baptismo  
obsignantur: ita nec panis Cœnæ Dominica est  
ipsum Christi corpus: Quamquam pro ratione  
Sacramentorum, & usitata Spiritui sancto de  
his loquendi forma, panis Christi corpus appel-  
letur.

QUÆST. 79. Cur ergo Christus panem  
appellat corpus suum, calicem verò suum  
sanguinem seu novum foedus per suum  
sanguinem: Paulus item panem & vi-  
num communionem corporis &  
sanguinis Christi?

RESP. Christus non sine gravi causa sic loquitur, vi-  
delicet non solum ut nos doceat, quemadmodum  
panis & vinum corporis vitam sustentant: sic  
etiam crucifixum suum corpus & effusum suum  
sanguinem verè esse animæ nostræ cibum ac potum,  
quo ad vitam æternam nutriamur: Verum  
multò magis, ut hoc visibili signo ac pignore no-  
bis certum faciat, nos non minùs verè corporis  
& sanguinis sui per operationem Spiritus san-  
cti, participes esse, quàm sacra ista symbola in  
ejus memoriam, ore corporis percipimus: Tum  
etiam quod ejus passio & obedientia tam certò  
nostra